



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Quæst. 520. An & qualiter pauper seu impotens solvere teneatur, & qualiter cum eo agendum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Castrop. l. c. n. 2. eum communi ut ait. ex ea ratione. quod creditor non teneatur consentire in hanc debitorum retentionem. cum ex ea debitor non cogatur damnum aliquod in propriis pati, sed solum in alienis retentionis hujus interventu lucrands. Limitat tamen hoc ipsum aliquantulum Castrop. dum cum Less. & Laym. fatetur, posse aliquantulum differre solutionem uni ex pluribus creditoribus faciendam, dum ex ea dilatione lucrum speraret, ex quo dein lucro omnibus satisfacere posset, aliis omnibus non satisfactorius. ex ea ratione, quod teneatur ille unus consentire in illam dilationem; cum quisque teneatur impedire iacturam alterius, si absque gravi incommodo suo id possit. de cetero ad illud, quod probabiliter objici posse videtur, nimirum quod cum potestas lucrandi & spes lucri futuri, etiam interventu alienae pecuniae sit pretio aestimabilis & aliquid ultra debitum, computari debeat inter bona propria debitoris; adeoque si solvendo debitum cogatur hac spe carere, patiat gravem iacturam in donis suis, ad quod non teneatur. Ad hoc inquam satis plausibiliter respondet Castrop. n. 3. dictam potestatem & spem pretio aestimabilem esse & inter bona propria computandam, si fundatur & innititur in bonis propriis; secus si in alienis. sicut enim non potest alienum detinere, ira nec spem lucri in eo fundatam; cum injuste illam spem retineat injuste retinendo illud, cui ea innititur. Vide eundem de hoc ulterius.

*Quest. 520. An & qualiter pauper seu impotens solvere teneatur, & qualiter cum eo agendum.*

**R**esp. Pauperes (quales hoc loco dicuntur, qui pecunia parata vel numerata destituti, licet habeant substantiam aliquam aliam mobilem & immobilem. Lauterb. in ff. h. t. §. 19.) ex hac sua substantia, aut etiam sibi ab aliis debita solvere tenentur, uti & creditor ea admittere cogitur. ita tamen ut si offerantur à debitore nomina seu ei debita (quae exigibilia esse debent) aut alia bona, creditor praevia eorum aequa aestimatione, meliora ex iis eligere possit, uti haec disponuntur in recessu Imperii de anno 1656. §. 166. offerenda autem sunt primò res mobiles, dein immobiles juxta Novell. 4. c. 3. & Auth. hos nisi. c. de solut. quae continet beneficium debitori pecunia destituito à Justiniano Imperatore concessum, quo oblatis bonis urgenti solutionem creditori etiam invito, pro solutione, à rigidioribus executione citra injuriam liberatur. Lauterb. §. 18. Porro vendenda bona immobilia ad satisfaciendum creditori, si adsit emptor justum pretium offerens, sin minus, obtrudenda illa creditori (intellige, juxta aestimationem à viris probis & intelligentibus factam) qui si ea acceptare nolit, ad hoc per viam mandati adigi solet, ait Lauterb. cit. §. 19. vel etiam, ut Idem, debitori decernitur citatio ad videndum se admitti ad beneficium cit. Auth. hoc nisi. quo ut fruatur, alleganda & probanda sunt, quae cit. Auth. requirit, nimirum, se non habere pecuniam; se emptorem bonorum justum pretium offerentem invenire non potuisse; obtulisse res optimas; eas ab aequo Judice aestimatas esse, ac denique desuper de evictione creditori praestare cautionem. Quod si verò debitor bona nulla habeat, quae offerat, & debitum proveniat ex delicto, cui nimirum statuta poena per R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

cuniarum, ne delicta maneat impunita, luere debet in cure juxta L. 7. ff. de jurisdic. secus; dum debitum est ex mutuo. Castrop. tr. 32. d. 1. p. 17. §. 7. n. 4. sed neque tunc in carcerem mitti potest; cum captura & incarcerationi nequidem locus sit, ubi debitor sive ex delicto, sive ex alio contractu alia bona habet ex quibus solvere potest, nisi prius à creditore judicialiter monitus de solvendo recuset juxta L. plerique. ff. de in jus voc. Castrop. l. c. p. 18. §. 26. n. 1. quamvis, ut addit n. 2. citatis pro hoc gl. in L. 3. §. tutores. de suspect. tutor. Molin. d. 671. in pr. Gomes. To. 2. de contr. c. 11. n. 57. Covar. 2. var. c. 2. n. 2. &c. & in hoc casu factae monitoriae citationis, & debito probato, si debitor habens bona non praestet satisfactionem, proferatur mandatum executivum adversus ejus bona, quae in debiti satisfactionem subhaerantur; cum locus non sit capturae & incarcerationi dum bona debitoris adsunt, uti nec ad capturam procedi potest, si fidejussores constituti sunt. Castrop. n. 3. cum Bald. Alex. Jalon. in l. creditor. ff. si certum per. excepto tamen debitore Regis vel Fisci, qui etsi fidejussores dedit, & bona habeat non excusatur à captura interim, dum cum effectu solvat, ut Idem num. 4. citatis Mol. ubi ante. Covar. l. c. num. 4. Guttier. l. 2. pract. 99. q. 1. n. 1. quod tamen intelligendum credo, si talis esset debitor morosus. uti etiam dum creditor queritur debitorem esse suspectum de fuga, vel etiam bona sua dilapidaret, ideoque petit vel bonorum sequestrum vel debitoris capturam, Judex desuper sumptu informatione summaria sine citatione patris, quae duobus testibus (non sufficiente ad hoc iuramento creditoris absque aliis coniecturis, ut Menoch. de arb. cas. 84. per tot.) comprobetur dictum creditoris, decernere potest tam sequestrum bonorum, quam capturam debitoris, nisi hic det fidejussores. Castrop. l. c. n. 5. citato Mol. d. 671. nisi tamen tempore contractus periculum, quod allegatur à creditore, adfuerit; cum is tunc imputare sibi debeat, quod fidem debitoris inopis vel suspecti sit secutus. Menoch. l. c. n. 15. Castrop. l. c. n. 6. nec allegare possit ignorantiam status debitoris, quia in contrarium est praesumptio; cum contrahenti competat conditionem secum contrahentis perscrutari, juxta L. qui cum alio. ff. de reg. jur.

*Quest. 251. Quid & unde sit cessio bonorum, quae ejus cause, an & qualiter, & quinam impotentes solvere ea cessione possint & cogantur satisfacere creditoribus; quae ad eam requirantur; quis ejus effectus, quae ejus resolutio.*

**1. R**esp. Ad primum: Cessio bonorum est actus, quo debitor aere alieno ita gravatus, ut non sit solvendo, integra omnia sua bona & jura relinquit, ut ex iis quantum fieri potest, creditoribus satisfiat, ipsaque carcerem aliasve molestaciones effugiat, ita ferè Castrop. tr. 32. d. 1. p. 17. §. 7. n. 1. Lauterb. ad ff. de cessio. bonor. §. 3. Venire autem in cessionem debent bona omnia (intellige alienabilia à creditore ejusque propria) quae tunc temporis habet, nimirum mobilia & immobilia, corporalia & incorporalia, ita ut nec actiones movere possit contra suos debitores, nisi in commodum creditoris cessionarii. Salgado. in Labyrinth. creditor. p. 1. c. 19. n. 29.